

Lunae die 1 m. Septembris a. 1997  
Kalendis Septembribus MCMXCVII

79

# MELSSA



EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08. Telecop. (02) 735 51 32


Editor responsalisi: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT - guy.licoppe@pophost.eunet.be

Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgiste kantoor: 1040 Brussel 4

*Melissa fere tota ... Finnica !*

*Melissam tuam, care lector, hac exente aestate paulo diutius ea de causa exspectavisti, quod, e Finnia reversi, de conventu Academiae Latinitati Fovendae ibi feliciter peracto statim referre voluimus. Ex urbe Graniuco sive Jyväskylä, quae etiam vocatur Athenae Finnicae, memorias nonnullas tibi afferimus. Praeterea etiam agitur de sede seminarii Belgici (vide p. 11), de India (p. 13) atque iam, ita est, iam de conventibus anno proximo participandis (p. 16).*

alf  
MCMXCVII  
ACADEMIA LATINITATI FOVENDAE



# DE CONVENTU ACADEMIAE

## LATINITATI FOVENDAE COGITATIONES NONNULLAS

PROPONIT GAIUS LICOPPE


**H**ic IX Conventus Internationalis modo in Finnia peractus mihi gaudium attulit duplex. Hac enim occasione data, quartum iter in Finniam feci, ubi mihi iucundissimum fuit praesertim Thomam Pekkanen, Ericum Palmén, Teivam Oksala et Tarmonem Kunnas iterum convenire, qui me iam primo itinere anno 1988 facto tam urbane, tam amicabiliter, tam familiariter in patriam suam receperunt.

Alterum gaudium, priori certe non impar, ortum est ex eo, quod moderatores Finni conventum totum Latinum atque Latinitatis vivae fautoribus liberaliter patentem instituere valuerunt. Nam, cum Thome Pekkanen a sodalibus Academiae Latinitati Fovendae (A.L.F.) mandaretur ut IX conventum in Finnia institueret, adnuit hac una condicione ut, secundum originalem Academiae legem, omnes orationes haberentur Latine. Nam

in VIII conventu, quattuor annis ante in Belgica habito, praeses Iosephus IJsewijn novam normam imposuerat, quā licebat acroases diversis sermonibus vernaculis facere, atque re vera in hoc conventu plures sermonibus vernaculis factae sunt quam Latino.

\*  
\* \*

Robertus Schilling, Francogallus professor emeritus, qui est unus e paucis qui primum conventum Latinitatis vivae anno 1956 Avennione habitum participaverunt, factus est alter a praeside hornotini conventus. Mihi narravit se in superiore conventu vehementer sed frustra repugnavisse normae mutationi; postea, cum de nono conventu convocando inter sessionem Academiae mense



A sinistris: Virpi Pekkanen (in recessu), Michael Vorbeck, Gaius Licoppe, Thomas Pekkanen





*Robertus Schilling et Carolus Egger*

Aprilii anno 1994 ageretur, se, tunc vicarium praesidis Academiae Romanae, suasisse ut res in Finnia fieret. Non mirum ergo quod Robertus Schilling in oratione sua inaugurali moderatores Finnos valde laudavit, qui conventum totum Latinum iterum instituissent.

Ceterum Leopoldus Sedar Senghor, Academiae sodalis honoris causa, qui anno 1977, cum praeses esset Rei Publicae Senegalensis, publicis sumptibus IV conventum A.L.F. in urbe Dacaria habendum curavit, telegramma votorum ad Finnos moderatores misit.

Thomas Pekkanen, praeses collegii conventui anno 1997 convocando, etiam effecit ut nonnulli ex summis Finnis magistratibus sibi essent adminiculo atque subsidia publica pro conventu praeberent, id quod nos in Europa occidentali ne nobis fingere quidem possimus.

Sic factum est ut in sessione inaugurali Olli-Pekka Heinonen, administer Publicae Educationis in Finnia, Pekka Kettunen, Granivici (v. Jyväskylä) burgimagister, Michael Vorbeck, Finnius sodalis Concilii Europaei, et Aino Sallinen, Rectrix Magnifica Universitatis Granivicensis, suam propitiam voluntatem exprimerent verbis Latinis. Et eorum verba non fuerunt sine pondere.

Administer enim Publicae Educationis imprimis commemoravit Finniam a XII saeculo partem factam esse areae culturalis Europae occidentalis, cuius lingua erat Latina. Post Reformationem in Finnia XVI saeculo impositam, usus linguae Latinae in studiis diu mansit immutatus. Hodie autem novus scopus est studiis Latinis. Nam his recentioribus temporibus omnia solent aestimari pro amplitudine lucri. Sed, quamquam lucrum necessarium est, fieri non potest ut sola technologia colatur, despctis valoribus humanis. Quorum valorum particeps est lingua Latina, quae


insuper haberit debet ut columna unionis Europae totiusque eius areae culturalis.

Michael Vorbeck inter alia dixit non solum instituendam esse oeconomicam politicamque cooperationem in Europa, sed etiam necessarium esse ut Europae nationes sibi conscientiae fierent suae hereditatis culturalis communisque historiae duorum milium annorum, per quos lingua Latina maximi momenti fuit. Scientia linguae Latinae adhuc multum iuvat eos, qui linguas hodiernas discunt. Mihi etiam licuit privatim colloqui cum Michaele Vorbeck, qui tunc dixit verba, quae in sessione inaugurali de lingua Latina fecisset, plane congruere cum voluntate politica hodiernorum Finniae regentium, sed addidit suos Europae occidentalis collegas in Concilio Europaeo, cuius sedes est Strateburgi, non solum flocci non facere Latinitatem, sed etiam ei esse infestos.

\*  
\* \*

Nonus ergo Conventus A.L.F. melioribus auspiciis incohari non poterat atque multi fuerunt participes, circiter 225 ex 21 nationibus oriundi, quamquam, diebus ab Academiae sodalibus iam constitutis, Iosephus IJsewijn professor Lovaniensis consulto instituit conventum de studiis Latinis posthumanisticis eodem tempore in Hispania habendum. Quod aegre tulit Thomas Pekkanen, cum impossibile esset eos ambos conventus participare.

Si indicem participum consideramus, statim animadvertisimus duas magnas Europae occidentalis nationes vix esse praesentes. E Francogallia enim solum quattuor advenerunt,



*Teivas Oksala participibus explicat architecturam universitatis Granivicensis.*



Caelestis Eichenseer, Sigrides Albert

inter quos certe eminent Robertus Schilling, de quo supra iam rettuli, et Clemens Desessard, auctor methodi Assimil c.t. «Lingua Latina sine molestia», quae quater iam iterum edita permultos tirones adiuvare solet in Latinitate discenda. Peius dicendum est de Anglia unde vix unus advenit. Causa huius absentiae mihi videtur esse quod in his duabus nationibus adhuc maxime viget exiguis nationalismus. Eandem enim absentiam animadverto in Europaeis conventibus radiologiae, qui tertio quoque anno Vindobonae instituuntur.

\*  
\* \*

Quid nunc de orationibus? Multae fuerunt attractivae, distincte et dilucide enuntiatae; fuerunt etiam valde diversae.

Hic solum de acroasibus ad institutionem Latinam spectantibus sententiam meam dicam.

Audivimus oratores qui non timuerunt palam dicere Latinitatem truncatam esse si deest usus et scribendi et loquendi.

Verba quoque fecerunt docentes, quibus curae non est de rebus hodiernis Latine tractare, sed qui censem methodum vivam in litteris Latinis antiquis tradendis multo efficaciorem esse disciplulisque iucundiores quam traditam. Maxime mirandum est quod etiam orationem habuerunt homines, qui, omni spe deposita, eo parvo contenti sunt, quod

eis adhuc permittitur nonnulla grammaticae Latinae rudimenta paucos discipulos taediosae docere. Obstupefactus audivi nonnullos professores, qui nuper autem ab institutionem Latinam necessariam esse ad iuvenum mentes bene formandas, nunc eodem vultu dicentes eam esse taediosam atque inutilem!

Quidam Italus ex his universitariis professoribus, qui non valuerunt institutionis Latinae eversionem impedire, se incredibiliter ostendit procacem, singillatim lacessens eos qui aliquid novi, aliquid vividius in institutionem Latinam conferebant. Tales procaces palam increpuit in oratione sua Dr P.C. Eichenseer, quod, cum omnem vitam Latinitati negarent, facti sunt participes consilii istorum regentium qui iam diu cogitant de Latinitate funditus eradicanda.

Alia res fuit iniucunda. Quadraginta enim annis post primum conventum Latinitatis vivae Avennione habitum, ubi pronuntiatus Latinus diurnis, scientificis diversisque investigationibus talis restitutus est, qualis praevalebat tempore Aureae Latinitatis, hic pronuntiatus non est ab omnibus oratoribus adhibitus. Unum ex emolumentis linguae Latinae est eius universalitas, sed haec universalitas manifesta tantum fit si singuli easdem regulas respiciunt, non solum inscribendo, sed etiam in loquendo.

De universalitate linguae Latinae testes fuerunt in conventu Finnico participes Graeci, Russi et Americani.


In scholis universitatibusque Graeciae quoque traditur lingua Latina. Moderna enim Graecia orta est XIX saeculo, postquam per quattuor saecula in Turcorum dictione fuit. Europaei occidentales, litteris Graecis Latinisque tunc maxime imbuti atque antiquorum Hellenum admiratione impulsi, Graecos multum adiuverunt ad Turcorum terrible iugum excutiendum. A quo tempore optima coniunctio culturalis facta est cum Graecis, qui sibi assumpserunt occidentalium programma scholare, ubi lingua Latina magnum locum habebat. Infeliciter his recentioribus temporibus, secundum occidentalium exemplum, locus linguae Latinae in institutione scholari valde coartatus est. De his hodiernis condicionibus Graecis acroasis fecit professor Demetrios Koutroubas, qui litteras Latinas docet in universitate Atheniensi. Ibi, ut efficacior sit institutio, solet Latine docere.

In Russia iterum colitur lingua Latina. Conventui intererat professor Alexander Zajcev, caput instituti linguarum classicarum in studiorum universitate Petropolitana. Mihi iam



licuit eum ibi convenire anno 1994; tunc temporis miratus eram quam facile ipse collegaeque eius Latine loquerentur. Acroasin fecit de gymnasio ante novem annos Petropoli restituto, cum ad finem vergeret regimen communisticum. Huic gymnasio favent novi magistratus urbis; institutio enim est ibi gratuita, contra consuetudinem aliarum scholarum maioris qualitatis. Praeterea moderatores tota libertate fruuntur ad programma componendum. Quod programma idem est ac ante revolutionem bolchevicam; constat praecipue e tribus materiis maioris momenti, quae sunt lingua Latina, lingua Graeca et mathematica. Tamen lingua Latina non docetur modo vivo sed sicut docebatur pristinis temporibus. Loca nunc desunt in gymnasio ad omnes postulantes accipiendos; quare selectio necessaria est, quae fit pro intelligentiae mensura. Mirum in modum nunc in Russia maior est in docendo libertas quam apud nationes occidentales.

Restat ut de Americanis loquar, qui re vera ab origine et propter originem semper pertinuerunt ad aream culturalem Graeco-Romanam. Conventui interfuerunt duo cives Foederatarum Civitatum, professor Terentius Tunberg eiusque uxor Guenevera. Ambo docent linguam Latinam atque Terentius, qui specialiter incumbit in litteras Latinas a tempore Renascentiae conscriptas, acroasin fecit, quā suasit ut recentiores quoque textus Latini studiosis proponerentur legendi in scholis universitatibusque. Hac occasione comperimus in Foederatis Civitatibus Americae Septentrionalis magnam esse docentium libertatem in materiis eligendis necnon in methodo didactica adhibenda. Terentius Tunberg magni facit methodum vivam, quam ob rem iam duos annos conventicula aestiva instituit, ubi docentes invitantur ad linguam Latinam vivam exercendam.



*Guenevera et Terentius Tunberg*

\*  
\* \*

Ut concludam, patet Latinam institutionem scholarem necnon universitariam fere ubique inexorabiliter coartari. De causis politicis huius mortificationis vix quisquam oratorum aliquid dixit praeter me. Hae tamen causae sunt maximi ponderis in Europa occidentali, ubi regentes vi et dolo volunt discipulos cogere in unam scholam publicam, gratuitam, uniformem et «utilem», i.e. ubi discipuli ad certum usum formantur sicut instrumenta.

Quousque tandem licebit politicis civium patientiā abuti? ☺



*Inter inaugurationem: chorus «Musica»*

# PULCHERRIMA EXPOSITIO CHARTOGRAPHICA ET TOTA LATINA

**I**nter conventum Finnicum cum multa alia tum expositio chartographica proposita est, cui titulus fuit: «Finlandia Latina chartographica - Finlandia in tabulis geographicis Latine delineata». Quas tabulas Eero Fredrikson et filius eius Ericus excerpserunt e suo thesauro privato itaque commodaverunt spectatoribus, ut viderent quomodo decursu temporum Scandinavia esset a geographis descripta. Haec expositio non solum fuit pulcherrima et pretiosissimis tabulis geographicis ornata (vide exemplum subiunctum),

sed etiam tota fuit Latina, cum omnes explications essent a Thoma Pekkanen Latine conscriptae.

Quid autem de vobis miserrimis qui non adfuistis, qui hanc insignem expositionem lustrare non potuistis, qui catalogum Latinum non accepistis? Hoc vobis sit solacio: propter benevolentiam et liberalitatem possessorum eadem tabulae mox transportabuntur in alias regiones, imprimis Bruxellas, atque hanc Latinam expositionem vobis cum primum fieri poterit nuntiabimus. ☙



Haec descriptio regionum septentrionalium ab Abrahamo Ortelio (1527-1598) confecta Antverpiae edita est anno 1579. Eadem pertinet ad notissimum «Theatrum orbis terrarum», quo terrae septentrionales latius innotuerunt.

In parte maxime septentrionali, id est in ficta continentи arctica, scripta sunt haec verba: «Pigmei hic habitant».

# TECHNICAЕ MODERNISSIMAE LATINITATI SUNT USUI

**I**n conventu Finnico inter alia multum actum est de technicis modernis, quibus potest et Latinitas viva latius propagari et institutio linguae Latinae adiuvari. Nemo nunc nescit radiophonicos nuntios e Finnia in totum mundum emitti. Televisio etiam pertinet ad Latinitatem exhibendam; in Bohemia linguae Latinae institutio televisifica praebetur, quam curat Bohumila Mouchová; Italicae televisionis moderatores idem propositum peragendum Aloisio Miraglia mandaverunt. Quid de Interreti? Quamquam longe abest ut in eo Latinitas in locum linguae Anglicae substituatur, tamen plura pluraque Latina fiunt: aliquando iam rettulimus de «Grege Latine loquentium», nuper etiam de periodico interretiali c.t. «Retiarius», nunc exspectanda sunt Latina colloquia directa; plura dicam: aliquid huiusmodi iam fit inter alumnos

Americanos.

Terentius Tunberg Americanus, cum «Retiarium» conderet, offerre voluit periodicum mere interretiale, id est neque chartā papyraceā conscribendum neque ad subnotatores tradito more mittendum, sed quoquaversus diffundendum per ingentem araneam mundanam, quae dicitur. Primus fasciculus, si ita dici potest, in lucem mox edetur; in quo Terentius Tunberg sub titulo «Quae sit Latinitas moderna» Latinitatis hodiernae tractabit quaestiones et generales et proprias, quae pertinent ad syntaxin, ad vocabula novanda, ad calendarium aliaque, multis exemplis adhibitis. Ut salivam vobis moveamus, haec excerpta vobis in antecessum proponimus tamquam praecolum; reliqua mox in primo Retiario (<http://www.uky.edu/ArtsSciences/Classics/retiarius/>):

«(...) Syntaxi ergo antiqua nobis opus est, ut Latinitas nostra sit stabilis omnibusque intellegibilis. At nobis etiam necesse in primis est sermonem adhibere novitatis capacem. Quamvis igitur syntaxis eadem permaneat, vocabula tamen nobis vel recentissima nonnumquam usurpanda vel prorsus nova (etsi perraro) fingenda. Nisi hoc aliquando fecerimus, Latinitas viva ad lusum quendam redigetur, vel ad exercitia quaedam, quae sint in conclavibus tantum scholasticis utilia, ubi possint Latine loquentes omne argumentum modernum evitare, Romanosque sese antiquos esse fingere, linguaque sese oblectare vere mortua. Nequaquam negamus Latine loquendi exercitia in scholis utilia esse - immo suademus ut crebrius in ludis et universitatibus usurpentur - sed loquelam Latinam aliquanto latius patere posse credimus, quippe cuius ope commercia iucunda cum aliis, praesertim cum alienigenis, qui quidem et ipsi Latine sciant, frequentare queamus.

«Nisi novorum vocabulorum semper capax fuisset Latinitas, Romano imperio numquam supervixisset lingua Romana. Ciceroni quidem ipsi sermonis novandi et ampliandi primas dare possumus, a quo vocabula (praesertim philosophica) linguae Latinae sint addita multa.

«Quando convenient vocabula recentia et nova? Res scilicet multiplex et involuta, quae haud semper legibus praecepsisque contineatur, cuius sensus et intellectus ex sermonibus nostris, e lectione assidua nobis quodammodo innascatur oporteat. Attamen haec praeepta, eaque generalia, fortasse ab omnibus probabuntur.

«Si nobis fuerint exprimendae res notionesve hominibus Romanis inauditae, quarum similes nusquam apud auctores Romanos aut mediaevales aut renascentiales describantur, ad voces recentes aut prorsus novas confugere debemus. Nolumus circumitionibus verborum involutis et inhabilibus immorari - id quod quidam Latine scribentes faciunt, qui omnia vel recentissima et antiquis temporibus absone Ciceronianis tantum vocibus describere cupiant - ne impediamur quominus expedite dicamus, ab auditoribusve intellegamur. (...)»

# EXEMPLUM VIVAE INSTITUTIONIS

**I**nter acroases conventus Finnici proposita est quaedam sessio specialis, quā de rebus didacticis et de viva institutione ageretur. Primus locutus est Iohannes Ørberg, auctor methodi scholaris c.t. «Lingua Latina per se illustrata»<sup>1</sup>, deinde Aloisius Miraglia, qui hac methodo in schola uti solet, atque eius discipulae, ut oculis et auribus nostris perciperemus effectus talis institutionis.


Quid vos? Putatisne fieri posse, ut discipuli sponte sua verba et sententias et structuras grammaticas intellegant, quas antea numquam didicerunt, sic, naturali modo, quasi lac maternum sugerent? Non solum fieri potest, sed insuper ea memoriā melius tenere solent, quae ipsi invenerunt. Iohannes Ørberg, qui linguam Latinam diu docuit, rationes suas explicans narravit se aliquando fatigatum fuisse illis arcana sententiis librorum scholasticorum, quas discipuli intellegere non valebant nisi antea edidicissent series declinationum et tempus praesens et tempus imperfectum, quae insuper absurdæ videbantur cum non essent inter se sensu communi coniunctae. Tunc se vertere statuit ad linguas modernas, quae via naturali ita traduntur, ut omnia ab initio per se intellegantur et ut sensus vocabulorum e contextu appareat. Itaque modernam methodum sibi assumpsit aptavitque ad institutionem linguae Latinae. Longum opus, cuius summa iterum iterumque in lucem edita iure et merito aestimatur a plurimis.

Est autem incohandum a rebus simplicissimis, quas etiam inculti possunt intellegere. Cetera gradatim et pedetemptim sequuntur, sicut, ut exemplum praebeamus, notio genitivi. Videatis methodi capitulum secundum, paginā tertīā decimā. Ibi ostenditur imago familiae Romanae cum nominibus et hoc textu subiuncto: «Iulius pater est. Aemilia est mater. Iulius pater Marci et Quinti est. Iulius pater Iuliae quoque est. Aemilia est mater Marci et Quinti et Iuliae. Marcus filius Iulii est. Marcus filius Aemiliae est. Quintus quoque filius Iulii et Aemiliae est. Iulia est filia Iulii et Aemiliae.» Casus genitivus facile intellegitur e simplici exemplo familiae.

Iam diu patet discipulos vivis methodis citius, melius, efficacius discere. Tamen nondum omnes assentiuntur huic manifestae sententiae. His dubitatoribus Aloisius Miraglia obtulit orationem



Aloisius Miraglia



vividissimam et persuasoriam, quā explicit institutionem Latinam esse funditus renovandam, methodos linguarum modernarum assumendas, discipulos vivā methodo eductos multo facilius et modo quasi naturali intellegere textus antiquorum scriptorum. Secum tamquam viva specimina attulerat quattuor discipulas, quae coram omnibus Latine explanaverunt textus cum magistro lectos anno praeterito. Tam pulchrum exemplum,



vitae plenum, nonnullos certe adducet ut de sua  
recogitent institutione, quae taedium  
nonnumquam movet non solum discipulis, sed  
etiam ipsis docentibus.

F.D.

<sup>1</sup> Hans H. Ørberg, *Lingua Latina per se illustrata*,  
Havniae apud Museum Tusculanum, 1991 (Mu-  
seum Tusculanum, Njalsgade 94, DK-2300  
København).

## SPECTACULA LATINA

**F**inni solent spectacula et musicam et cantus multum colere. Hoc est intellegibile: nam in illis regionibus septentrionalibus, ubi per sex menses sol vix conspicitur, noctes sunt longae et oblectamentis necessario exornanda. Sic multa nobis praebita sunt: Chorus c.n. «Musica» Latine cecinit, musica organi proposita est, Regina Rimón cum Papis suis fervidissimis concentum iazzicum dedit et rhythmice modulata est saltationem crepuscularem, Jukka Ammondt etiam praebuit concentum, Jolanta Kozak-Sutowicz pantomimum Latinum egit c.t. Pygmalion, Milites Pauperes Latine cecinerunt.

Totus autem Dominicus dies dicatus est

communi navigationi, contemplationi pulchrarum lacus Päijänne riparum, iucundis colloquiis.

Ultima celebratio fuit cena valedictoria, inter quam, cum variae fierent acroases laudatoriae, Valahfridus Stroh praesides Thomam Pekkanen et Robertum Schilling floribus theataliter coronavit. Indicem ciborum Latine conscripserat Ericus Palmén, qui fuit totius conventus secretarius sollertissimus.

Inter multa carmina, quae cantata sunt, ecce duo famosi poetae Finni Iohannis Ludovici Runeberg (1804-1877), qui vocatus est «Finniae poeta nationalis». Versionem Latinam confecit Teivas Oksala:



«Diffugit ver cito,  
citius sed aestas,  
autumnus fit longus,  
longior sed hiems.  
Vos, decorae genae,  
languescetis brevi,  
numquam effloretis.»  
At puer respondit:  
«Mensibus autumni  
veris recordamur,  
tempore hiberno  
messium aestatis.  
Fugiat ver cito  
aut languescant genae:  
at nos nunc amemus,  
basium carpamus!»

Folia cadunt,  
lacus concrescunt. -  
Cycni migrantes,  
velis volate  
tristes ad Austrum,  
famem ferentes  
haec esurite;  
lacus arate,  
nostros amantes.  
Palmae sub umbra  
oculus cernet  
tum vos et dicet:  
«Cycni languentes,  
quae vis sub Arcto  
fascinat mentes?  
Quisquis ab Austro  
avet abire,  
caelum capessit.»

# CONSPECTUS ACROASIUM PRINCIPALIUM, QUAS IN ACTIS ACADEMIAE EDENDAS ALIQUANDO LEGERE POTERITIS

Carolus EGGER, *De litteris Latinis a Romanis pontificibus aetate media in Finniam et Livoniam missis.*

Carolus Egger commemoravit Scandinavianos episcopos, qui Latine locuti sunt, et epistulas Latine scriptas quas Papa ad eos misit. Ex his epistulis multae sunt ineditae et servantur in secreto archivo Vaticano. Harum epistularum imprimis tractatus est aspectus historicus (sunt enim conscriptae tempore Reformationis in Finnia), deinde stilisticus.

Birgerus BERGH, *Revelationes Sanctae Birgittae, Suetice ab ipsa vel dictatae vel conscriptae, Latine versae, rursusque Suetice translatae.*

Birgerus Bergh, professor in universitate Lundensi, orationem fecit elocutione et pronuntiatio valde laudandam. Sancta Birgitta est inter omnes sanctos Suetorum cordi dilectissima; etiam Romae exstat quaedam ecclesia «Sanctae Birgittae Suetorum».

Caelestis EICHENSEER, *Vetera et nova satis Latine proferenda.*

Caelestis Eichenseer, qui Latine loquitur quasi Romae natus esset illo tempore, cum de neologismis creandis tractaret, memoravit primum conventum Avennione habitum, quo Iohannes Capelle optavit ut lingua Latina iterum fieret lingua internationalis, aucto vocabulario. Antiquis exemplis nixus etiam explicuit quibus rationibus nova verba essent condenda multaque exempla exhibuit, inter quae unum vobis hic offerimus vere novum et utile: transmodulatrum (modem).

Caietanus GANTAR, *Quid Procopius, rerum gestarum scriptor Byzantinus, de populis septentrionalibus et Slavicis tradiderit.*

Caietanus Gantar Slovensus facunde locutus est de Procopio, qui floruit tempore Iustiniani et habendus est sive ut ultimus scriptor antiquitatis, sive ut primus medii aevi.

Valahfridus STROH, *De insania volandi quid Latini scriptores senserint.*

Valahfridum Stroh auscultare est vera voluptas, quippe qui totam scaenam theatali sua volubilitate occupare soleat. Non omnes cum eo putant esse in volando insaniam - aliter etiam loquendum esset de insania vehendi et de insania navigandi. Ceterum in titulo suo Theodisco ipse orator non adhibuit verbum insaniae, sed scripsit «der Traum vom fliegen», i.e. somnum volandi. Haec acroasis ornata est multis citatis antiquis et recentioribus, pulchris etiam imaginibus (vide iuxta).

Bohumila MOUCHOVA, *Quomodo conversionis e sermone patro in linguam Latinam difficultates superentur.*

Bohumila Mouchová eloquentiā excellenti et dilucidā locuta est de experientia sua docendi. Ipsa solet seminaria Latina moderari in Bohemia et in Bohemica televisione praebet institutionem linguae Latinae.

Iohannes ØRBERG, *Lingua Latina ex contextu per se intellegenda atque ediscenda.*

et

Aloisius MIRAGLIA, *Aliud est Latine, aliud grammaticē loqui: de viis rationibusque docendae linguae Latinae necessario innovandis.*

De his duabus acroasibus relationem legatis p. 8.

## *In Belgica*

Thomas PEKKANEN, *De animalibus sacris gentium septentrionalium.*

Thomas Pekkanen nos duxit in phantasticum mundum animalium a populis borealibus adoratorum, inter quae primum locum tenet ursus.

Milena MINKOVA, *De textibus Latinis componendis.*

Milena Minkova, Bulgara, Romae docet in universitate Salesiana, in qua ei adhibendus est pronuntiatus Italicus; haec acroasis, quae de variis modis scribendi per exceptionem facta est in nobili oeo splendida cathedra doctorali ornata, ei fuit occasio optima modi restituti sedulo exercendi.

Bruno LUISELLI, *Quam de Roma imaginem gentes ad septentrionem spectantes sibi finixerint (a Cimbris Teutonibusque ad saec. VIII p.Chr.n.).*

Bruno Luiselli hic tractavit argumentum, de quo est verus specialista, cum librum conscriperit mille fere paginarum de commerciis inter Romanam et regiones septentrionales habitis.

N.B.: Minores acroases Finni in animo habent ipsi in lucem edere.



*Iosephus Tartuffius: Mongolferii machina volans (ed. Ch.G. Mitscherlich, 1793)*

## **DE CASTELLO SILICUM**

**SCRIPSIT ROBERTUS DEPREZ**

*Seminarium Latinum feliciter actum est Geldoniae in Belgica, ubi sodalis noster Robertus Deprez Geldoniensis sedem aptissimam invenit ad participes recipiendos; ibi in recessu, medio in pulcherrimo viridario, tranquillitas nobis data est utilis cogitationibus, studiis, colloquiis, festivitatibus. Docentibus P. Caeleste Eichenseer et Sigride Albert, participes per totam septimanam Latine locuti sunt, Latine cogitaverunt, atque procul dubio etiam noctu Latine somniaverunt.*

*Primus autem huius domus possessor fuit vir quidam mirabilis, cuius Robertus Deprez nobis adumbrat historiam (videatis paginam sequentem).*



**S**aeculo praeterito cives Geldonienses duo, Augustus Hectorque Defoer fratres, negotiandi causa peregre profecti sunt. Postquam aliquandiu Lutetiae morati sunt, in Aegyptum se contulerunt, quae tunc temporis provincia autonoma imperii Turcici erat, a prorege recta. Hector amicus proregis Ismaelis Pasae factus est, qui ei multa officia implenda tradidit, eumque denique titulo Turcico *bey* donavit.

Post nonnullos annos Augustus Hectorque in patriam reverterunt. Ambo (praecipue Hector, ut videtur) maximas pecuniae copias cumularant. Augustus uxorem duxit vitamque tranquillam postea degit. Hector autem amplum natus, quod rectius silvam diceremus, emit, ubi ab anno 1881 castellum exstruendum curavit, in quo exinde tanquam princeps orientalis vixit. Locum omnibus temporis sui commodis ornavit, inter quae: gasometrum, castellum aquarium, frigidarium subterraneum... Praeterea in praedio lacum bipertitum effodi, parvum nymphum instrui, arbores raras exoticasque inseri iussit.

Omnia illa odium zelotypiamque multorum hominum excitaverunt. Cum Hector vitam privatam liberius plerisque contemporaneis suis ageret, inimici eum accusarunt quod in stupro luxuriaque viveret. Fuit autem vir honestus,

affabilis, artium scientiarumque amator, generosus, qui saepe divitiis suis usus miserias pauperum levabat vitamque proximorum beatiorem faciebat.

Hector Defoer mortuus est anno 1905, aetatis suae 73; sepulcrum eius, quod in coemeterio Geldoniensi adhuc quisque conspicere potest, formam obelisci Aegyptiaci exhibet.

Post varias vicissitudines (nam Hector caelebs illiberisque decesserat), castellum praediumque (nonnullis agris venditis deminutum) possessiones facta sunt civitatis Belgicae, quae ibi internatum sive oecotropheum discipulorum masculorum instituit (nunc, cum natio nostra foederata sit, internatus a Communitate Francogallica Belgica, ut dicitur, regitur). Valde dolendum est quod anno 1952 per pulchrum castelli tectum incendio deletum est. Ut finem faciamus, hoc quoque dicamus oportet: in praedio non ita pridem instructum est pomarium experimentale, ubi agronomus quidam nova genera pomorum (praecipue malorum) creare veteraque genera quae paene perierunt restaurare temptat.

In hac domo lauta historiaque plena, sede seminarii Latini anni 1997, suavi otio fructi sumus.

Gratias agimus Marco Verdickt, historico Geldoniensi, qui textum hunc benigne revisit. ☙



*Participes seminarii Geldoniensis vobis arident*

# INDIA

## NUM SIT LONGINQUA AN PROPINQUA (II)

SCRIPSIT GAIUS LICOPPE

**I**n mente Indica iam ab aetate Vedica apparet singularitas, cuius effectus erunt maximi momenti. Nitens in naturae experientia, qua res demonstrantur mutari propter causas, quae ipsae oriuntur ex anterioribus causis et sic in infinitum, mens Indica negat omne principium quod sit causa sui. Negatur ergo mundi creatio ex nihilo, contra opinionem ceterarum magnarum religionum. Secundum mentem Indicam fieri non potest ut quicquam entis particeps habeat initium; igitur Universum neque initium neque finem habet; alternatim dilatatur atque contrahitur<sup>1</sup>.

Hic notandum est mentem Indicam pronam esse ad ingentes numeros tractandos<sup>2</sup>, quibus quam accuratissime metienda sunt aetates cosmicae. «Brahman» vocatur ens aeternum, quod alternatim dilatatur atque contrahitur. Ens et Universum unum sunt, cum realitas solum spiritualis sit: Universum est inanis species, quam gignit spiritus. Huius modi cogitatum de Universo vocatur «theopanismus», ne confundatur cum «pantheismo», ubi Universum habetur ut realitas, quae tota est Deus. «Atman», i.e. «ego humanus», eiusdem essentiae est ac ens impersonale «Brahman»; hac in notitia nititur spes salutis felicitatisque.

Aetate Vedica Indi etiam cooperunt credere animas post mortem in alia animantia transmigrare. Quae cogitatio fortasse est vestigium religionis animistae quae vigebat apud populos ante Aryarum invasionem Indianam incolentes. Eis persuasum est animam post carnis mortem in aliam carnem transire. In quam? Fietne homo ordinis superioris an inferioris, animal, planta? Hoc pendet a defuncti «karma», quae est summa bonorum malorumque actuum totius eius vitae. Pro defuncti merito, ei tribuetur melior aut peior status in nova vita. Solum post karmam extinctam animae licebit supremam liberationem adipisci, quam vocant «Nirvanam». Hoc tamen apud plerosque mortales non eveniet nisi in futurum longinquissimum post innumerabiles reincarnationes<sup>3</sup>.

Hac cogitatione incohatur ingens drama mentis Indicae. Inde enim liberationis avidissimi facti sunt philosophi Indi, qui strenue et subtiliter quaesiverunt quo modo anima inexorabiliter

retenta eripi posset de magna rota (quam «samsaram» vocant) infiniti renascendi cycli. Omnia philosophica systemata Indica ad eandem conclusionem pervenerunt: corpus est hostis; nam gignit cupidinem, actum, errorem; est sedes spurcitiae, morbi, decrepitae aetatis; retinet animam quae id relinquere cupit ut in aeternum redeat ad divinum, cuius est pars. Ad summam, esse est dolor maximus. Talis est philosophorum nuntius desperatus. Remedium proposuerunt, ad quod adipiscendum duas praecipuas vias monstraverunt, quae sunt ascesis corporis et mentis, yoga vocata, atque mystica contemplatio, bakti vocata.

Hoc in contextu religioso et philosophico VI saeculo a.C.n. ortae sunt duae communitates religiosae, quarum doctrinae vocantur «Diainismus» et «Buddhismus». Hic solum de Buddhismo aliiquid narrabitur.

In parvo regno ad septentrionales Indiae fines sito regnabat stirps Sakya. In eius oppido capite Kapilavastu circa annum 560 regi Suddhodanae eiusque uxori Mayae natus est filius, cui nomen dederunt Siddhartam. Is adolevit divitiis voluptatibusque fruens, ut solebat apud principes. Iuvenis uxorem duxit Yasodharam, quae filium Rahoulam genuit.

Optatis tamen Siddharta non respondebat vita luxuriosa. Quare, circiter triginta annos natus, statuit idem facere ac multi nobiles Indi, i.e. familiam relinquere, vagari atque ascetice vivere. Septem annos yogam exercuit atque corpus multimodis cruciavit, unde sperabat fore ut attingeret beatam animi pacem, quam Nirvanam vocant.

Siddharta prope Gayam tantum ieunum tantosque cruciatus sibi imposuit, ut non longe afuerit quin periret: haec omnia frustra. Cum sub fico sedens (haec est arbor «bô» postea celeberrima facta) meditaretur cur animi pacem nondum adeptus esset, inopinanter habuit «illuminationem», qua ei patefacta est nova via ad animi liberationem.

Sic Siddharta Gotama Sakyamuni factus est «Buddha», quo significatur «illuminatus». Post nonnullas septimanas, quibus fructus est ingenti

felicitate, putavit viam liberationis non sibi soli patefaciendam esse; quare statuit eam populares suos docere. Flava ascetarum stola vestitus ambulavit ad urbem Benarem. Prope hanc urbem, in Nemore Orygum, quod vocabatur, institutionem suam incohavit sive «rotam legis» movit, ut apud Indos dici solet.

Buddhae doctrina non respuit anteriora cogitata Indica. Disputare de Deo, de anima, de mundo ei videtur esse vanum. Solum docet novam methodum ad Nirvanam adipiscendam, quae medium tenet inter saecularem plerorumque hominum vitam et ascetarum disciplinam. Buddhae praedicatio nititur in «Quattuor nobilibus veritatibus», quae sunt hae:

- omnis vita est dolor;
- vivere, agere sunt re vera effectus ignorantiae; funesta est omnis cupiditas;
- a dolore liberatur is qui iam non agit neque cupidus;
- «octupla semita», quae dicitur, continet vitae regulas, quibus ad liberationem ducitur; singulae semitae sunt rectae, quia significant rectitudinem intuitus<sup>4</sup>, voluntatis, sermonis, morum, constantiae, aspirationis, cogitationis et animi intentionis.

In primo regularum ordine eminet bona voluntas erga ceteros homines. Cum tamen boni actus, aequa ac gaudia vel amor, karmae onus augeant, se abstinere melius est eis, qui iam sunt in gradibus superioribus ascensionis ad liberationem.

Hi soli valent huius modi viam sequi, qui saeculum aufugiunt non repetituri, sed pauci sunt; quare buddhismus primitivus est religio monachalis. Ceteri laici homines karmae onus levare possunt hoc securo modo: sustentent coenobia monachorum monacharumque atque obseruent nonnulla praecepta simplicissima, quae sunt haec: nullum viventem occidere, non furari, castitatem respicere, non mentiri, potionibus inebriantibus non uti.

Buddha post praedicationem quinquaginta quattuor annorum obiit modo vere humano: cum carnem porcinam comedisset apud fabrum ferrarium, cuius erat hospes, cruditate laboravit atque mortuus est. Post cremationem eius cinera, ossa atque vestimenta distributa sunt praesentibus, qui ea in diversa loca abstulerunt. Hae sanctae reliquiae servatae sunt atque devotorum venerationi propositae sive in templis sive in tumulis in tholi speciem formatis, quos «stupas» appellant.

Scitu dignum est Buddhismus usque ad medium tertium saeculum a.C.n. solum fuisse unam e multis scholis philosophicis religiosisque. Propter causas politicas tunc inopinanter longe lateque



*... corpus est hostis; nam gignit cupidinem, actum, errorem ...*

diffusus est. Oportet ergo aliquid scire de contextu historico illius temporis.

India non solum non genuit suum Herodotum, sed propter suam singularem mentem numquam curam habuit de sua historia. Prima eventa quorum certam notitiam habemus conscripta sunt ab extraneis qui commercium habere coeperunt cum Indis.

Certum est Achemenidarum imperium Persicum complures provincias Indicas continuisse. Vergente sexto saeculo a.C.n., Scylax Karyandanus, geographus Graecus, iussu Darii Primi usque ad ostium fluminis Indi navigavit ad vallem huius fluminis explorandam.

Plura de India accurati narrantur a tempore expeditionis Alexandri Magni. Primum certum tempus historiae Indicae est annus 326 a.C.n., cuius verno tempore Macedonum exercitus transiit flumen Indum. Tunc imprimis Alexander regnum Taxilae pacifice intravit, cuius rex Omphis (Ind. Ambhi) eum in suum oppidum caput amicaliter recepit. Macedones, qui tunc primum inveniebant Indiam, maxime mirati sunt ascetas, qui, nudi sub ardente sole iacentes, fastidiose adspiciebant invasores.

Anno circiter 322 Sandracottus (Ind. Tchandragupta) thronum regni Magadae usurpavit atque multis aliis regnis devictis submissisque primum Indicum imperium hoc nomine dignum condidit. Sandracottus videtur Alexandrum coram

vidisse, cuius exemplum verisimiliter imitari voluit. Quod imperium de stirpe Maurya vocatum commercium per legatos habuit cum vicino Seleucidarum imperio.

Tertius huius stirpis qui regnavit, nomine Asoka, in re nostra, in Buddhismo scilicet, maximi momenti est. Unicus sui generis est in tota Indiae historia. Imperium gubernavit annos fere quadraginta medio tertio saeculo a.C.n. In initio regni bellum gerere coactus est contra rebellem provinciam. Ita commotus est sanguine effuso bellique miseriis, ut statueret particeps fieri communitatis buddhicae, primo ut consocius laicus, duobus annis post ut sodalis. Qui monachus in throno sedens non solum conatus est Buddhae doctrinam ipse exercere, sed etiam voluit suos legatos, administratores, officiarios allicere ad idem faciendum. Hoc in votis erat, ut imperii incolae meliores felicioresque fierent. Asoka multa loca, quae propter pristinam Buddhiae praesentiam facta erant sanctuaria, lapideis monumentis inscriptionibusque ornavit, monasteria stupasque exstruxit. In suam urbem caput Pataliputram (sive Patnam) concilium monachorum convocavit, qui novem menses sederunt ad sanctarum scripturarum canonem definiendum. Tunc etiam statutum est missionarios quocumque terrarum mittere, ut longinqui populi quoque Buddhiae bono nuntio frui possent. Notandum est Indos solum ab aetate Asokae coepisse lapidem in architectura sculpturaque adhibere.

Ergo Asoka effecit ut Buddhismus primum locum in India obtineret. Quo non impediebatur quin buddhistae, ut ipse Asoka, ceteros deos colere pergerent. Ab eo tempore etiam Buddhismus gradatim propagatus est in insulam Taprobanen (hodie Sri Lanka), in Asiam orientalem et meridionalem, in Sinas et inde in Iaponiam. Asoka missionarios etiam ad occidentem misit, i.e. ad regna Hellenistica, quibuscum commercium per legatos habebat, sed homines cultu Hellenico imbutos ad Buddhiae religionem convertere non valuit.

Buddhismi praecellentia in India non diu duravit. Tradita enim religio propter splendidum deorum mundum atque attractivos ritus plus alliciebat Indos quam buddhistarum monachorum praedicationes. Praeterea mystica contemplatio, bakti vocata, facta est placida fiducia cuiusdam gratiosi dei, quae animam humanam multo melius tranquillabat quam atheistica doctrina Buddhismi. Eo accedit, quod Buddhismus multas dissensiones intestinas patiebatur. Tam vehementes factae sunt, ut primo saeculo p.C.n. scinderetur in duas distinctas religiones, quae vocantur Hinayana (Parvum Vehiculum) et Mahayana (Magnum Vehiculum). Hinayana paucis solum monachis viam patefacit ad Nirvanam. Mahayana contra

omnibus hominibus liberationem facit accessibilem per viam facilem. Magnum Vehiculum proximum est Brahmanismo, in quo paulatim dissolvitur. Buddha deificatus est. Ex hoc Buddha primigenio emanant «Bodhisattvae», i.e. Perfecti, qui de Nirvana discedunt, ut homines adiuvent ad eam adipiscendam.

De Buddhismo narrationem ultra dilatare non est utile, nam fere omnes novi rami creverunt extra Indiam.

Ergo tempus est concludendi. India numquam habuit veram unitatem politicam neque ethnicam. Ex hac tamen diversitate orta est cultura, quae totam Indiam gradatim amplexa est et quam Hinduismum appellamus. Prima concursio Hinduismi et Hellenismi facta est post Alexandri expeditionem. Hellenismus vix quicquam recepit ab Hinduismo, sed e contrario non parvum pondus habuit in arte Hinduismi. Buddha, exempli gratia, non figuratus est ante Hellenismi concursionem; tunc ei dederunt speciem Apollinis.

Mahometani quoque Hinduismo diffisi sunt. Undecimo saeculo apud scriptorem quendam Mahometanum leguntur haec: «Indi a nobis in omnibus rebus differunt et singulariter in his ipsis, quibus consentimus cum aliis nationibus».

Recentioribus temporibus, cum Angli totam Indiam regerent, Europaei flocci non faciebant Hinduismum. Dubito num res hodie vere mutatae sint.

Hanc symbolam scribendo cum facere non possem, quin mirarer Indorum anxietatem de sua animae futuro, mihi in mentem venit haec interrogatio: aequales nostri in orbe occidental, qui dicitur, cogitantne adhuc multum de salute sua animae? Parum, ut opinor. Causae meo sensu hae sunt, quod vita multo facilior facta est, morbi minus timendi, et praesertim quod mentes a meditatione continue avocantur, non solum labore et athletismo, sed praesertim recentibus ludicris radiophonicis et televisificis. ☺

#### ADNOTATIONES

- <sup>1</sup> Scitu dignum est nonnullos hodiernos physicos, qui non confidunt theoriae initii Universi iocose vocatae «Big Bang», idem censere ac veteres Indos.
- <sup>2</sup> Cfr Melissam n. 71 p. 4.
- <sup>3</sup> «Reincarnatio» secundum exemplum «incarnationis», quod est antiquum.
- <sup>4</sup> Intuitus: hoc verbum pertinet ad quandam veritatem immediabiliter captam, i.e. sine ratiocinationis auxilio. Cfr A. Blaise, *Lexicon Latinitatis Medii Aevi*, Turnholti, Brepols, 1975, p. 504-505.



# LATINE LOQUI ...

## CONVENTUS INTERNATIONALIS DE VIIS RATIONIBUSQUE LINGuae LATINAe DOCENDAE PENITUS RENOVANDIS

fiet Montellae in Italia a die 24 m. Aprilis in diem 1 m. Maii a. 1998, patrocinantibus Universitate Studiorum Salernitana et Instituto Italico Studiis Philosophicis promovendis, moderantibus Sodalitatibus Italicis Latinitati provehendae et Academia Vivarium Novum nuncupata. De scopo autem conventus legatis haec, quae moderatores proponunt:

«Conventus eo consilio instituetur, ut quam plurima experimenta, quae quidem prospere successerint, ac subsidia docendi in unum collocata participibus proponantur exhibeanturque. Nobis enim hoc inceptum ineuntibus ille praestituitur finis, quo magis magisque in dies novae methodi in scholas inducantur nostras, quibus discipuli quam celerrime et quam optime adducantur ad scriptorum antiquorum recentiorumque opera sine animi contentione legenda.

«Persuasum nempe habemus etiamnunc haud difficulter fieri posse, ut brevi temporis spatio nec sine aliqua animi iucunditate adulescentuli, rectas ingressi vias, ad textus expedite intellegendos perveniant lexicis nonnisi perraro pervolutatis normisque grammaticis in sucum et sanguinem sensim sine sensu alte conversis, potius quam abstruse parum subtiliter ac quasi in transitu perceptis.

«Praeter singulorum oratorum acroases, magistrorum globi suas quique docendi rationes, quas sint experti, eorundemque effectus inter se comparatos demonstrabunt. Omnia vero, quae non pertineant ad vias ipsius linguae discipulis tradendae et extra hos haud angustos fines diffundantur, ut aliis locis tractanda explodentur, sive de litteris, sive de quaestionibus Academicis vel maximi momenti agatur.

«Tu quidem, qui in hac linguae Latinae docendae provincia tantam navasti operam, humane rogaris ut intersis opinionemque de re aperias tuam, ne tua vox in tanto doctorum choro desideretur.»

Qui participare cupiant scribant ad: Aloisium Miraglia, Contrada S. Vito 5, I-83048 Montella  
Telephonum et telecopiatrum: 0039-827 601643

## PROXIMUM SEMINARIUM BELGICUM FIET IN... HISPANIA!

Rogitantibus Hispanis latinistis, iam diu agebatur de quodam seminario Latinitatis vivae instituendo in Hispania. Quod usque adhuc variis de causis fieri non potuit, nunc autem iam instat fietque a die 18 in diem 25 m. Augusti a. 1998. Nam Societatis Latinae moderatores statuerunt seminarium Latinum, quod ab anno 1983 fieri solet in Belgica, anno proximo transportare Matritum, ubi locus inventus est vere idoneus et multis commoditatibus ornatus: praeter oecum temperatione aeris praeditum etiam natabulum et campus teniludii participibus praebebuntur! Inter quas iucunditates maxima erit Latina institutio D.ris P. Caelestis Eichenseer, cui est huius rei diurna et mirabilis experientia, et D.ricis S. Albert, quae tirones delectabiliter allicere solet ad colloquia Latina.

Qui participare cupiant scribant ad: Gaium Licoppe, Avenue de Tervueren 76, B-1040 Bruxelles

## SEMINARIUM PRAGENSE

ab associatione c.n. L.V.P.A. (i.e. Latinitati Vivaे Provehendae Associatio) institutum fiet a die 31 m. Iulii in diem 7 m. Augusti a. 1998. Thēma principale erit de poetis scriptoribusque Latinis saeculi nostri. Itaque invitantur non solum ii qui hodierno tempore carmina, epigrammata, chronogrammata Latine pangunt, fabellas Latine fingunt, symbolas Latine componunt, sed etiam eorum auditores et lectores, necnon tirones.

Qui participare cupiant scribant ad: Ingam Pessarra-Grimm, Nordstrasse 39, D-59174 Kamen  
Telephonum et telecopiatrum: 0049-23 07 15617

## IN AMERICA

Conventiculum Latinum Lexingtoniae fiet ultima septimana mensis Iulii a. 1998. De quo mox plura.

Qui participare cupiant scribant ad: Terentium Tunberg - Department of Class. Languages,  
1015 Patterson Office Tower - University of Kentucky  
Lexington KY, U.S.A. (clatot@pop.uky.edu)